

#### Universitätsbibliothek Paderborn

## Hymni Ecclesiastici Novo Cultu Adornati

Clairé, Martin Parisiis, 1676

In Festo Pentecostes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12077

# IN FESTO PENTECOSTES.

AD VESPERAS.

Promisse nobis cœlitus;
Reple tuo nos lumine
Christi redemptos sanguine.

Qui diceris Paraclitus, Fons vivus, ardor inclytus, Donum Dei, dilectio, Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere, Virtus Paternæ dexteræ, Dei Patris clementia, Facunda Verbi gratia.

Accende lumen sensibus,
Cor ure sacris ignibus;
Carnis gravatos pondere
Leva superno robore.

Hostem repellas longiùs,
Pacémque dones ociùs;
Ut te sequentes prævium
Vitemus omne noxium.

26 HYMNI

Tu nos Patri cum Filio Da scire quæ sit unio; Et te, duorum vinculum, Per omne nosse sæculum.

Tibi, benigne Spiritus, Per quem datur divinitus Christi frui victorià; Ipsi, Patríque gloria. Amen.

## AD MATUTINUM.

AM Christus hinc abscesserat, Reversus unde venerat, Missurus arce Cælitum Suum, Patrisque Spiritum.

Solemnis urgebat dies Septena, ducta septies, Implenda quâ promissio, Paraclitíque missio.

Cum lucis horâ tertiâ
Instat Dei præsentia,
Apostolis orantibus,
Cælum tonat fragoribus.

Miro corufcans lumine Ignis venit de Numine, Quo corda fiunt ignea, Et verba fundunt flammea. ECCLESTASTICI. 27

Sacris calent ardoribus, Donis micant cœlestibus; Et proferunt oracula, Et perpetrant miracula.

Stupent videntes Exteri, Græci, Latini, Barbari, Cunctos profari gentium Repente linguas omnium.

Judæa tunc incredula, Madere clamat crapulâ, Stultos putans & ebrios, Quos Numen implet sobrios.

Sed quæ putant deliria, Docet Petrus mysteria, Verbis Johelis testibus, Simul stupendis actibus.

Tibi, benigne Spiritus, Per quem datur divinitus Christi frui victoria; Ipsi, Patríque gloria. Amen.

### AD LAUDES.

BEATA nobis gaudia Reddit dies amabilis, Quâ Spiritûs incendia Illapsa sunt Apostolis.

Bij

28 HYMNI

Ignis vibrante lumine Flammas amoris indidit; Linguæ micans imagine, Verbo potentes reddidit.

Linguis loquentes omnium, Musto putantur ebrii: Cœtus stupent Gentilium, Mysteriorum nescii.

Loco patent hæc publico, Palam Dei fit missio, Cursu dierum mystico, Quo lege fit remissio.

Deus, parens piissime, Illapsa nobis cœlitus Esfunde nunc largissimè Divina dona Spiritûs.

Dudum sacrata pectora Tuo replesti numine; Quieta redde tempora, Ab orbe pulso crimine.

Tibi, benigne Spiritus, Nato, Patríque gloria, Per quem datur divinitus Christi frui victorià. Amen.

